



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 994/16/I

B E A T I S S I M E   P A T E R ,

Stanislaus Zvolenský, Archiepiscopus Metropolita Bratislavien., humiliter exponit: a. CCCXVI, in Pannonia, e parentibus gentilibus nascebatur Martinus. In Gallia sub vexillis vocatus, adhuc catechumenus Christum chlamyde sua tec-tum videre meruit; baptismo suscepto, arma reliquit et apud Locogiacum vitam monasticam egit in coenobio a seipso condito. Sacerdotio initiatu-s et Episcopus Turonensis electus, exemplum boni pastoris p[re]se ferens, alia monasteria pa-roeciasque in vicis fundavit, clerum erudit et ruricolas evangelizavit.

Ad illas digne celebrandas memorias, a die XI vertentis mensis Novembris usque ad diem XI Novembris MMXVII, in tota Bratislavien. Archidioecesi peculiaries mox habebuntur sacrae functiones, eo intento fine ut salutaris devotio erga caelestem patronum Sanctum Martinum promoveatur in christifidelibus et, ipso auxiliante, eorum mores impensius divino Evangelio conformentur. Quo autem abundantius iis, qui dictis celebrationibus intererunt, divinae gratiae thesaurus aperiatur, Exc.mus Orator Indulgentiarum donum ad instar Iubilaei implorat.

Et Deus, etc.

### Die VII Novembris MMXVI

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de speciali mandato Ss.mi Patris Francisci, *Iubilarem in Bratislavien. Archidioecesi* concedit *Annum cum adnexa plenaria Indulgencie*, christifidelibus vere paenitentibus et caritate compulsis, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) semel in die lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint si, sociato corde cum spiritualibus finibus Anni de Misericordia Sancti, Bratislavien. cathedralē ecclesiam vel aliud templum in honorem eiusdem Sancti Martini dicatum, in forma peregrinationis inviserint et ibi alicui sacro ritu vel pio exercitio devote interfuerint, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei, invocationibus Ss.mae Virginis et Sancti Martini.

Pii christifideles, senectute vel gravi morbo impediti, *plenariam* consequi poterunt *Indulgenciam*, si, concepta peccatorum detestatione, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, laudabiliter coram aliqua Sancti imagine, iubilaribus celebrationibus se spiritualiter adiunixerint, preces ut supra in loco ubi impedimentum eos detinet recitaverint, doloribus suis vel incommidis propriae vitae oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria rogat ut sacerdotes legitime adprobati generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant et S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per Iubilarem Sancti Martini Annum in Bratislavien. Archidioecesi valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

*Maurus Card. Piacenza*  
MAURUS Card. PIACENZA  
Paenitentiarius Maior

*Christophorus Nykiel*  
CHRISTOPHORUS NYKIEL  
Regens



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 995/16/I

### DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, Excellentissimo ac Reverendissimo Patri Domino Stanislao Zvolenský, Archiepiscopo Metropolitae Bratislaviensi, benigne concedit ut, in iubilaeo Sancti Martini, Caelestis Patroni, post litatum divinum Sacrificium, impertiat omnibus christifidelibus adstantibus, qui vere paenitentes atque caritate compulsi iisdem interfuerint sacris, **papalem Benedictionem** cum adnexa *plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui **papalem Benedictionem** devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die VII mensis Novembris, anno Domini MMXVI.

MAURUS Card. PIACENZA  
Paenitentiarius Maior

CHRISTOPHORUS NYKIEL  
Regens